

A. BOBER S. J.

DE PSEUDO-AUGUSTINI LIBRORUM ASCETICORUM IN POLONIA SORTE

Dissertatiunculae scopus ac finis eo spectat, ut omnes Pseudo-Augustini libros asceticos, qui in Polonia in patrium sermonem fuere translati, percenseat et ad tramitem hodiernae artis criticae diudicet et versionum indolem aestimet.

Arte Guttembergiana vix inventa, Cracoviae, urbe Poloniae tunc capite, exegeticum Augustini opus *De doctrina christiana* lingua latina anno 1475 prodiit. Proximo saeculo XVI Cracoviensis typographus Hieronimus Wietor, iam anno 1522 duo Sti Augustini spuria opuscula (*De doctrina christiana* — *De salutaribus documentis*) Polonorum idiomate edenda curavit. Utriusque tamen versionis pauca tantum fragmenta exstant.

Peculiari tamen animi oblectatione prosecuti sunt Poloni quinque praecipue libros, qui inscribuntur: *Meditationes*, *Soliloquia animae ad Deum*, *Manuale*, *De contritione cordis*, *De vanitate saeculi* (ML 40). Omnes hos libellos iam pridem doctissimi e Maurinorum Congregatione viri ad spuria undequaque Doctoris gratiae opera amandarunt. Ineunte tamen saeculo XVII passim pro genuinis Augustini operibus putabantur, non obstante quorundam doctorum severiore de iisdem censura.

Versionem polonicam venusto eloquio primus adornavit Ioannes Alandus S. J. et in Vilnensi Academia S. J. excudendam curavit anno 1617. Eleganti stilo liber polonice exaratus per duo et amplius saecula rursus atque iterum edebatur, lectoribus omne genus spiritualis oblectionis materiam praebens. Liber quidem tecto nomine Petri Casimiri Tryzna inscriptus, opera tamen — ut dissertatiuncula fuse declarat — I. Alandi S. J. est translatus. Intra annos 1617 et 1798 duodecies prodiit. Quibus, pietatis ardore redundantibus libris, Poloni et ad glorificandum Deum et ad Coelites deprecandos et ad intima poenitentis animi sensa Conditori suo patefacienda, utebantur.

Medio saeculo XIX (1852) novam *Meditationum et Soliloquiorum* versionem Fr. Wawrowski adornavit et Gnesnae (Gniezno) publici juris fecit. Versionis indoles, si venustatem sermonis et elegantiam dictionis

spectes, haud cum Alandi labore compares. Iste etenim fidus interpres verbum de verbo curavit reddere, inde versio sac. Wawrowski nec lectu facilis evasit.

Nostris demum temporibus *Soliloquia* tertio iam et *Manuale* iterum, interpretibus sorore Maria Aemilia ab Angelis et sacerdote I. Bobicz prodiit Leopoli (Lwów 1928). Introductionis instar brevem dissertatiunculam I. Bobicz operi praemisit authentiam librorum infeliciter defendere temptaturus.

Anthologiam ex pannis *Mediationum*, *Soliloquiorum* et *Manualis consarcinatam*, lingua gallica sac. Clément evulgavit (*Entrées de l'âme avec Dieu*) anno 1740, quam Polonorum idiomate et quidem oratione numeris adstricta edidit rex exul a patria Stanislaus Leszczyński anno 1745 (Nancy). Deficientibus tamen in patria huius libri exemplaribus, nova versio est a sac. J. Łubieński temptata exiguo cum successu. Utraque translatio versibus elaborata lectoribus non placuit, ideoque novam, oratione iam soluta, Fr. Bohomolec S. J. adornavit (a. 1770). Tres, brevi temporis intervallo subsecutae editiones, felicem libri eventum comprobarunt.

Anthologiae Clementinae adnexum fuerat *Psalterium*, quod dicitur, Augustini, cuius sortes in Poloniae eadem fuere atque ipsius anthologiae.

Tandem *De antichristo liber unus* perperam S. Augustino adscriptus, re autem abbatis Adsonis (medio saec. X) cento e scriptorum Augustini fragmentis emendicatus, cura et studio prof. Czuj in polonicam linguam translatus, nomine S. Augustini prodiit anno 1921. Sed, eheu, neque periodici „*Gazeta Kościelna*“ moderatores, neque studiosus ipse interpres lectorem monitum esse voluere libellum hunc ad medium aetatem pertinentem, spurium esse Doctoris gratiae foetum.

ST. LACH

PREScriptions REFARDANT LE CULTE CONTENUES DANS L'EPITRE AUX HEBREUX ET DANS LE PENTATEUQUE

Trois textes, dans l'Epître aux Hébreux, semblent être en contradiction avec les textes correspondants du Pentateuque de Moïse. Un de ces textes (7, 27) regarde la fonction sacrificatrice du grand prêtre, le second (9, 4b) la déposition des souvenirs religieux dans l'Arche d'alliance, le dernier enfin (9, 4a) l'emplacement de l'autel de l'encens dans le sanctuaire d'Aaron. Nous ne saurions expliquer ces contra-